Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

felices dicunt · in errorem uos mittunt · Ideoque de homine quem falsę blan
ditiae faciunt arrogantem · recte etiam uulgo dicitur · Creuit caput · inpinguatum est ·
enim oleo peccatoris · Hoc est non aspera ueritate corrigentis sed leni falsitate
laudantis · Neque hoc ita ex parte p&lo accipias · quasi ego te a fratre euodio ·
ita quasi a iusto emendatum intellegi uelim · Uereor enim ne me quoque aliquid
contumeliose in te dicere existimes · quod uehementer caueo quantum possum ·
Sed iustus est ille qui dixit · Ego sum ueritas · Itaque de cuiuslibet hominis
ore nobis uerum cum aliqua asperitate sonuerit · non ab illo homine qui forte
peccator est · sed ab ipsa ueritate hoc est a christo qui iustus est emendamur ·
ne nostrum caput blande sed perniciose adulationis unctio · hoc est oleum pec
catoris inpinguet · Quamquam etiam si frater euodius aliquantum pro suae com
munionis defensione perturbatione aliquid elatius animo commotior dixisset ·
aetati hominis et necessitatis causa · te oportet ignoscere · Illud tamen quod
permittere dignatus es peto memineris · ut sedentibus quos ipse delige
ris · dummodo uerba nostra non inaniter uentilentur · sed stilo excipiantur ·
ut et tranquillius et ordinatius disseramus · Et si quid forte a nobis dictum
de memoria lapsum fuerit · recitatione reuocetur · Rem tam magnam · et ad salutem
omnium pertinentem · cum concordia requiramus · Aut si placet · nullo medio
interposito prius nobiscum · siue per epistolas · siue per conlocutionem atque lectionem
ubi placuerit conferamus · Ne forte intemperantes nonnulli audi
tores · malint quasi nostrum expectare certamen · quam de nostra salute in nostra
conlocutione cogitare · Ut quod inter nos fuerit terminatum · postea per nos
populus nouerit · Aut si per epistolas agi placet · ipse plebibus recitentur ·
ut aliquando non plebes · sed plebs una dicatur · Prorsus sicut uolueris ·
sicut iusseris · sicut tibi placuerit · libenter amplector · Et de animo be
atissimi et uenerabilis mihi patris ualerii nunc absentis · tota securitate
polliceor · hoc eum cum magna laetitia cogniturum · Noui enim quantum
diligat pacem · et nulla uana fastus inanitate iactetur · Rogo te quid
nobis est cum ueteribus dissensionibus · ut hucusque uulnera illa durauerint ·
quae animositas hominum superborum nostris membris inflixit ·